



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Nvm. 5. Domus & lectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

N V M. 3. *Cultus & vestes.*

*Proceri* erant omnes Galli, ideóque Romanos contemnebant; *Cæsar*, *Hirtius*. *Candidi* lactea colla auro innectuntur, *Virg.* Comam alebant, *Strabo*, *Liuius*. Capillos duriores reddebant vt coma arre-cta stare posset, *Diodorus*. Aurea ferè seu flaua cæsaries. Barba promissa, *Liuius*: *Diodorus* tamen ait Nobiles genas radere, barbam autem sic alere, vt cibo potúque inficiatur.

VESTES eorum: 1. Sagum, Virgatis lucent sagulis. 2. Vestis fissilis manicata ad nates demissa *vn Instacorps*. Dimidiásque nates Gallica palla tegit. 3. Bardocucullo Santonico utebantur. 4. Braccas induebant vel laxas, vel circum extensas. 5. Vestem ex lanâ, lanâ vocabant, seu vt vult *Casaubonus* Chlenam.

N V M. 4. *Arma.*

*Scutum* longius, sed breuius ornatum animalium formis paulum extantibus, item & corallio. *Liuius*, *Polybius*, *Plinius*.

*Galea* ærea paulo eminentior dicta *Mirmillonium*, in qua quadrupedum & volucrum effigies, itémque cornua, *Diodorus*.

*Gladus* longus, grauis, sine mucrone, malè fabricatus, ex molli ferro, *Liuius*, *Plutarcho*, *Polybio*: ærea catena ex dextro latere pendens, *Diodoro*: Corallio ornatus, *Plinio*.

*Currus Rostratus*: Couinum Belgis, aliter *Essedum*. In pace *Rheda* erat virorum, *Petorium* fœminarum.

*Tela* variis nominibus dicta *Gæsa*, *Cataya*, *Materis*, seu *Meris*, *Cæsari* *Matura*. At *Groffæ*, & *Spari* leuiores sagittæ.

*Cansibus* item pugnant, *Strabo*, & *Diodorus*.

N V M. 5. *Domus & Lectus.*

*Domus* sæpe in syluis, aliquando ad flumina æstus vitandi gratiâ Stramento eas operiunt, *Cæsar*. Rotundæ sunt magno imposito fastigio, *Strabo*. Ianuas numquam claudunt, *Stobæus*. Villas habent, sed nullis mœnibus septas, imò & vrbes muris cingere à Græcis *Massiliensibus* tantùm didicerunt.

*Lectus*. In terra super strato gramine dormiunt, *Cæsar*. In ferarum pellibus, *Polybius*.